

1930 N. 1



PALAESTRA

INDEX RERUM

IN TEGUMENTO: GRAECIA ANTIQUA

Quam in fasciculi tegumento videtis imaginem, vestro debetis condiscipulo Ioachimo Esders-Tempski, gymnasii Chelmsensis Pom. alumno, qui egregie et imaginatūs exsecutus est symbolum eius quam veneramur antiquitatis. Nullum definitum imago repraesentat monumentum — primo obtutu Acropolis Atticea columnas superstites solis radiis inauratas conspicere nobis videmur. Etiamsi quis Graeciam non vidit, eius desiderio tenetur. Est enim quaedam patria corporis, est et animae: illuc peregrinantur nostrae cogitationes, ut ibi cum Socrate et Platone confabulentur, illuc se vertunt mentes, ut recreentur auditis carminibus Homeri et Pindari, ut assistant tragoediis Aeschyli Sophoclis Euripidis, ut exhilarentur comoediis et facetiis Aristophanis. Graecia enim nobis humaniorum litterarum cultoribus non est aliqua notio geographica, sed, ut Christianis paradisus Bibliorum, terra quaedam mythica, ubi quidquid artem poesin humanitatem sapit collocamus. Quis nostrum talem Graeciam non amet? At in ruinis eam videmus — nam nil sub sole perfectum.



RICARDUS GANSZYNIEC PHILOMATHIS SUIS S.

Habetis iam, amici, commentarios[1]) saepiuscule efflagitatos — parvulos quidem volumine, sed vestros. Neque minore cum cura eos apparabo quam

---

[1]) *Commentarii* vel *acta* sunt scripta publici iuris facta, in universum seriatim edita. Habemus *acta diurna* vel *ephemerides* (e graeco ἡ ἐφημερίς, -ίδος, quod derivatur ex ἐπὶ et ἡμέρα 'dies') quae cottidie prodeunt, sunt *hebdomadaria* (e gr. ἡ ἑβδομάς, -άδος, quod est lat. 'septimana', derivatum ex ἕβδομος 'septimus'), quota quaque septimana edita, novimus etiam *epimenides* (e gr. ἡ ἐπιμηνίς, -ίδος ex ἐπὶ et μήν, μηνός 'mensis'), quae singulis mensibus publici iuris fiunt, deinde commentarii *bimensales*, ut est *Przegląd Humanistyczny, trimestrales*, ut *Kwartalnik Klasyczny, semestrales*, denique *annales*. Acta habent paginas, pagina saepe dividitur in columnas, columna vero in capita, caput denique in incisa et enuntiata. Singuli commentariorum 'numeri' dicuntur *fasciculi,* fasciculorum vero series per annum collecta efficit *volumen* (a verbo *volvo*) vel *tomum* (e gr. ὁ τόμος quod substantivum derivatur a verbo τέμνειν 'secare', *tomus* ergo quasi dicas latine 'sectionem').

ceteros quos dirigo commentarios, immo — ut verum dicam — maiore cum diligentia enitar, ut vestri commentarii latini sint quam praestantissimi.

Ceterum scire vos velim Palaestrae institutum idem plane esse quod Philomathae: invenietis enim hic (I.) *dissertationes* vel potius dissertatiunculas, deinde (II.) *bibliographiam*, quam excipient paginae vobis vestrisque opusculis latinis graecisque reservatae — has (III.) *Ver Sacrum* appellari placuit, totumque fasciculum claudit (IV.) *Satura Lanx* quae praeter iocos proponet etiam aenigmata, quibus enodatis — si vobis ingenium et Fortuna faverint — utiles pulchrosque libros pro praemio accipietis.

Nescio quot amicos inter vos Palaestra sit repertura: hoc sane persuasos vos esse velim gavisurum me apprime, si quam plurimos inveniam paratos qui cultioribus humanioribusque se dederint studiis castaeque vacaverint latinitati, quae nostrorum maiorum fuit lingua paene domestica, ne dicam vernacula.

Iam, amici, valete operique incepto favete!

Dabam Leopoli Kalendis Septembribus anni 1930.

DE AURIGIS POLONIS LATINE LOQUENTIBUS

Non possum non meminisse, quid Ioanni Pizerenbio, Gnesnensi Archiepiscopo, summo illis temporibus viro, sed paulo in suos indulgentiori, Sigismundi regis Poloni (II, a. 1548—1572) ad Ferdinandum caesarem (Austriae, a. 1556—1564) legato Viennae acciderit. Eius quidem aurigae praegrandi currui equis iunctis ad secanda ligna extra urbem decesserunt, et aut alterius silvae ignari aut longius iter veriti in propiorem et Viennae magis vicinam silvam diverterunt, quae imperatoris non tam usibus quam deliciis servabatur. Ex hac igitur silva cum praegrandem illum lignis onustum currum Viennam traherent, Ferdinandus, ut eos est conspicatus, ira subito exarsit, et aurigas, cuiusnam essent, quaesitum mittere et ipse demum interrogare non dubitavit. Tum quidem aurigae Archiepiscopi Gnesnensis, Legati nati et regis Poloniae Primatis et apud Caesaream Maiestatem Poloniae regis oratoris esse se testati sunt, et adeo latino sermone caesari respondere non dubitaverunt. Quo magis re, ut fit, in risum versa et quod vel ipsi etiam aurigae apud Polonos latine loquerentur, omnibus inter se iocantibus, iussi tandem impune sunt proficisci.



ASINUS SIMULACRUM GESTANS

Simulacrum asellus baiulans argenteum,
Cum id transeuntes flexo adorarent genu,
Sui hoc honoris gratia est fieri ratus.
Iamque insolenti elatus arrogantia
Nolebat asinus esse, donec aspero
Probe dolatus fuste tergum, is audiit:
„O stulte, non es tu deus, sed fers deum!"

Se norit hominem, qui magistratum gerit.




VULPES ET LARVA

Mimi ingressa domum vulpes, dum singula rerum
Visendi studio scaenae instrumenta revolvit,
Formosi larvam simulacrum repperit oris
Inque manus sumens animoque et lumine lustrans:
„O quam insigne caput, specie quam — dixit — honesta:
Sed rationis inops cassoque informe cerebro!“

Sordet honos formae, nisi cui sapientia iuncta est.


THADDAEUS ZIELIŃSKI

Varsaviae mense Maio adfuimus diei festo, cui parem nec vidimus nec videbimus unquam. Thaddaei Zieliński, principis philologorum, cuius nomen per universum orbem terrarum summis effertur laudibus, celebrabamus quinquagennalia studiorum curarumque doctarum quibus editis illustravit non solum philologiam, sed et nomini Polono summam comparavit gloriam. In aula universitatis Varsaviensis collegae amici discipuli ceterarumque universitatum et doctarum societatum legati congregati Thaddaeo Zieliński gratias egerunt, vota nuncuparunt, honores detulerunt. Si quem tituli honoresque scientifici beare possent, certe nemo unquam Thaddaeo Zieliński felicior esset: nam nescio cui mortalium praeter hunc contigerit, ut uno eodemque die quin-



Th. Zieliński anno 1880

que universitatum doctor honoris causa crearetur et creatus pronuntiaretur. Taceo alios eosque summos honores quos nemo ante eum accepit: inter quos praecipue mihi placuit collegarum donativum 5500 aureorum polonorum, quod Zieliński ad bibliothecam sui seminarii philologi dotandam augendamque destinavit. Et hoc memoriâ dignum quod Ministerium Instructionis Publicae votis scriptis alteras quoque adiunxit litteras quibus eximium Poloniae decus summo praemio pro curis scientificis instituto 10.000 aureorum donari significavit.



Th. Zieliński anno 1908

Dabitis mihi veniam, si non descendam ad singula neque quae quisque 25 et amplius oratorum dixerit referam aut quae vespere in xenodochio Bristol, ubi lauta cena apparata erat, nobis proposuerint, minutatim describam. Praeclara omnia fuerunt, exquisita, perfecta. Iam ut uno verbo omnia

complectar, in Thaddaeo Zieliński celebrando variae fuerunt linguae et diversi modi, at unum omnes expresserunt sensum: gratitudinem, admirationem, vota. Neque defuerunt Philomathae illi festivitati aut potius sibi: noster enim est Zieliński et nobiscum sentit. Vitam eius novistis — ipse enim enarravit nobis vitae suae primordia et pueritiam in praeclara narratiuncula cui inscripsit: *Quomodo factus sum philologus? (Jak zostałem filologiem?* vide Filomata 1929 fascic. 2 et 4). Ut accuratius vitae doctissimi huius viri decursum sciatis, breviter ipsius supplebo narrationem.


Natus est Thaddaeus Stephanus Zieliński in vico Skrzypczyńczyce in gubernio Kijoviano die 14 mensis Septembris anni 1859. Infantem quartum agentem annum, mortuâ matre, secum detulit pater Petropolim, ubi Thaddaeus deinceps erat mansurus, ubi erat etiam moriturus, nisi Poloniâ restitutâ patrium solum optimum filium ad se pellexisset. Anno 1922 et corpore noster est factus, qui animo nunquam a nobis erat alienus — vivebat enim Polonus in partibus, ut ita dicam, infidelium. Noster nunc est nosque instruit: o felices discipulos qui talem tantumque meruerunt magistrum!

At iterum in laudes eius viri sentio me delabi, nam uberrimam hic praebet laudis materiam. Minus notum est Thaddaeum Zieliński etiam latinos conscripsisse versus. En specimen eius artis versificatoriae, quam exercuit in carminibus Mickievicii vertendis (idem carmen Mickievicianum *Świteź* prosa

oratione Sigismundus Krasiński verterat, vide initium eius versionis Filomata 1929, fascic. 9):

„Cum igitur Poloni simus, ordinem ducat summus poeta noster, A. Mickiewicz, eiusque ballata, cui *Świteź* nomen indidit, a lacu patrio, cuius nympha ab audacibus exploratoribus capta miraculosa sua sororumque suarum fata enarrat. Stabat illic quondam opulenta civitas; quae cum propter ipsam suam felicitatem vicinorum Moscovitarum invidiam movisset neque impetum eorum sustinere posset, iuvenes matronae puellaeque extremam turpitudinem sibi impendere videntes ... sed reliqua ipsius poetae verbis referre praestat ut potui latine translatis:

„Dirae illam maneant, quae vitam abrumpere cessat!“
  Clamor it; hanc flammam tollere qui potui?
Iamiam cervices cunctae trans limina tendunt,
  Auget femineas dura bipennis opes.
Ecce nefas! Quid enim? Veniant impune catervae,
  Ut ferat, indignum, turpia vincla manus?
An placet huic fato mortem praeferre scelestam?
  „Pro Deus!“ exclamo, „supplicibus fer opem!
„Effugere hostiles miseris si non licet iras,
  „Tu, precor, innocuis instrue mortis iter:
„Aut tuus in cineres ignis pia corpora vertat,
  „Aut vivis tellurem hiscere, Sancte, iube!“
Protinus orantem nubes circumdedit alba —
  Sic noctis tenebras discutit alma dies —
Praestrictos oculos terrae demittere tempto —
  Nec iam terra oculis cernitur ulla meis.
Sic nos servitium caedemque effugimus una;
  Floribus ut niteant haec loca laeta vides?
Hae tibi Svitesiae florent nataeque nurusque,
  Has formas iussae numine ferre Dei“.



AD THADDAEUM ZIELIŃSKI 1859—1929

Lustris peractis stas quatuordecim
Infracta priscae meta scientiae,
Intellegendi res vetustas
Arte gravissimus et magister.

Gestite cives! Incolumis vigens
Quas ipse proles indigites docet
Varsoviae subtilis imo
Ingenio quoque disputator.

Antiquitatem quis meliore adhuc
Te penicillo pingit aheneam
Promante delectae palaestrae
Esse cibum suboli futurae:

„Antiquus orbis, membra animans velut
Vigore panis corporis intumo
Nutrit prius vi concoquendo,
Ipse animos colit educatque:

Utatur aequo more Leonidae
Sectans dolores Antigones simul,
Queis quisque conformatus ardet
Iphigeniae et amantis atra.

Quae Socrates scit, plangit et Oedipus,
Medea fidens fert animi mala,
Quid mente Aristides serena
Pro patria patiturque iustus.

Stant ante mentem Regulus integer,
Pauper tuam vir Fabricius probus —
Et mille agunt exempla morum
Altera praeteritis tot aevis!

Tu quanta dictis vis Latiis adhuc
Humanitatis quodque opus efficit,

Cultus gradu summi polita
Lingua potest, memoras, Quiritum.

O quis Latinae fons opulentiae
Exuberanti vividus impetu
Sententiarumque ima secum
Corda rapax animosque volvit —

Ut tu, profundo qui fluis alveo
Grammaticarum, gesta profundius
Invicta virtutis Quiritum
Disseris historiae peritus.

Sermone mirus quis vigor Attico,
Antiquitas quod robur erat fide
Pro Christiana, arguta abundant
Ingenio tua scripta docto.

Tu sponte cunctas historicus sagax
Mentes et ad te praecipites rapis
Et permoves mysteriorum
Commemores Cereris piorum.

Quam saepe clamas: „Semina posteris
Sint prisca nobis erudienda, item
Mens barbaro incultoque sana
Orbe valebit et ars perennis!“

Quaeque impleantur vota tua illico!
Annos beatus Nestoreos agas!
Clio iuvet dulce insusurrans
Te Danaum nova mira in aures!

ETYMOLOGIAE

Etymologia est vox graeca (ἐτυμολογία), derivata ab ἔτυμος (verus) et ὁ λόγος (vox): Romani praeeunte Cicerone eam vocarunt *veriloquium*, nos vero dicimus saepius *originationem*, cum hac in re quaeramus aliud atque antiqui. Graeci enim — namque a Graecis profecta est etymologiae quaerendae ratio — auctoribus philosophis etymologiae ope adhibita rerum quaerebant 'veritatem', id est proprietatum rerum cognitionem. Quae res mira sane videri posset, nisi olim atque adeo ante nostros oculos tam saepe is error repeteretur. In Bibliis verbi gratiâ legimus deum adduxisse coram Adamo, hominum protoplasta, animalia cuncta, ut singulis nomen imponeret: fecitque id Adam et appellavit unumquodque animal secundum vim et proprietatem eius, ita ut nomen esset non solum omen, ut notissimum dicit proverbium, sed prorsus designatio ipsius rei: nomine prolato proprietates et officia animalis statim pernoscebantur.

Quod ut melius perspiciatur, exemplo allato libet illustrare. Vox polona *lampa* est nomen rei, scilicet vasis vel machinulae lucem dantis: per nos licet alio vocabulo nominetur, quia vox ipsa nos rei usum effectumque non docet. At vox cum re pervenit ad nos a vicinis Germanis, qui eam appellant *die Lampe*, Germani vero rem cum voce mutuati sunt a Francogallis, quibus dicitur *la lampe*, Galli denique hereditate acceperunt a Romanis qui-

bus erat *lampas*, *lampădis:* sed omnibus his, quamquam optime noverunt rei usum, vox de rei usu nihil aperiebat — rem enim cum vocabulo sumpserunt a Graecis, quibus erat ἡ λαμπάς, τῆς λαμπάδος. Graecis denique vox explicabat rei quoque usum: nam λαμπάς derivatur a verbo λάμπω 'splendeo, luceo', λαμπάδα ergo dicas latine quasi 'lucernam'; primaque lampadis forma erat taeda pice vel resinâ delibuta, postea vero vas fictile oleo repletum, ex quo nostrae originem ducunt lampades. Statim vides nec Romanis (cf. *lucerna: luceo*) nec nobis Polonis deesse vocem accurate respondentem graecae, quae eandem rem eodem designet modo: scil. vox *świeca* 'candēla' (quae vox derivata est a verbo *candeo*) a verbo *świecić* 'fulgere, lucere': sed propria remansit haec vox antiquiori domesticaeque illuminationi, ex sebo cerâve confectae — novam aliunde importatam illuminationem extraneâ voce *lampa* placuit appellare.

Hoc exemplum nos docet duas res inter se prorsus diversas: 1. vocis 'originationem' — ad inveniendam propriam vocis polonae *lampa* originem ascendendum nobis erat usque ad Graecos qui primi hoc vocabulum finxerunt; 2. vocis 'veriloquium' — repertâ verâ vocis origine invenimus vocem designasse egregie rei usum et naturam. At graeci sophistae V saeculi a. Chr. n., Heracliti Ephesii prementes vestigia, putaverunt ex vocum originatione s e m p e r veram rerum naturam explicare nos posse idque viâ compendiariâ multoque breviori quam erat

scientifica proprietatum rerum indagatio. Ideoque diligenter se studio etymologiae applicuerunt plurimaque harum curarum monumenta Plato, qui ab hoc sophistarum errore alienus non erat, in *Cratylo* dialogo consignavit, quae nunc potius stuporem nostrum ac risum, quam adsensum provocant. Nam sophistae magis respexerunt res, quas voluerunt habere explanatas, quam grammaticae leges ac regulas. Exemplo sit vox graeca ἡ σελήνη 'luna'. Dialecti aliae, ut dorica, permiserunt formam prolixiorem σελαναία; sed cum sophistis ne haec quidem forma suffecisset ad exprimendas omnes quas noverunt lunae proprietates, supposuerunt vetustiorem sonuisse formam: *σελα-ενο-νεο-αεί-α, ex qua orta sit σελαναία: hanc prolixiorem formam nos docere lunam semper (ἀεί) novum (νέον) eodemque tempore antiquum (ἐνόν, scil. a sole mutuo acceptum) splendorem (τὸ σέλας) habere. Vere ingeniosa est explicatio, quae omnia scitu digna de luna profert! At philologi eam nullo modo comprobant, quia est arbitraria et innixa in voce defigurata: id unum admittunt vocem σελήνη derivari a σέλας. Eâdem vero usi methodo quidam docti recentioribus temporibus Graecorum deorum explanaverunt nomina, ut, quae fuerit primigenia eorum vis, accuratius definirent: at has nugas nihilque his commune esse cum philologiâ non est quod te moneam (de his lege optimae frugis plenam dissertationem Adami Krokiewicz, *Gramatyka grecka i łacińska, jej powstanie, rozwój i stan obecny* in commentariis *Kwartalnik Klasyczny* I 1927, p. 289—320). (r.p.tr.)

COLLOQUIUM PETRI ET LADISLAI

Petrus: Salve, mi Ladislae! Quo festinas tam propere?

Ladislaus: Salve, mi Petre! Peto scholam, nonne vides me perâ [1]) onustum?

P. Id sane potui conicere. Nam et me vides in gymnasium tendere.

L. Quomodo vales?

P. Bene habeo, secundâ utor valetudine. Sed dic tandem, cur pera tua tam distenta?

L. Noli mirari, plurimos mecum porto libros et diaria [2]). Iam olim praeterierunt tempora, quibus tabella [3]) cerea, lignea vel lapidea discipulo sufficiebat.

P. Doleo sane. Nam perpensa quot librorum genera nunc baiulem: praeter manualia vel si mavis enchiridia [4]) historiae et litteraturae habemus cate-

---

[1]) *Pera* alias *theca* (gr. ἡ θήκη, cf. *apotheca* gr. ἡ ἀποθήκη); theca proprie potest esse armarium (cf. biblio-theca gr. ἡ βιβλιοθήκη, ubi reponuntur libri) vel repositorium, ut cista et capsa.

[2]) *Diaria* sunt codices vel codicilli ex chartis (gr. ὁ χάρτης lat. haec charta) sive papyro (gr. ἡ πάπυρος, lat. haec papyrus) consuti; aliter dicuntur *sexterna* (*-orum*). Distinguimus diaria proprie dicta, vel *alba* (quia illic scriptum in album referimus), et *adversaria* (ex gr. ὀπισθόγραφον, quia veteres ex altera tantum libri scribebant parte, et ex tergo solùmmodo minutiora).

[3]) Antiquorum tabellae erant ligneae cero inductae, ideo simpliciter dicebantur *cerae*; alio nomine vocabantur *codicilli* vel *pugillares* (*-ium*).

[4]) *Enchiridion* gr. τὸ ἐγχειρίδιον ex ἐν et χείρ 'manus'; *catechismus* gr. κατηχισμός 'doctrina' ex κατηχέω 'reboare, docere'.

chismos, grammaticam latinam et polonam, anthologiam, epitomas, mappas, sescenta alia.

L. Et oblitus es codices papyraceos: nam praeter alba sunt adversaria, et tota suppellex scriptoria.

P. In eâdem es poenâ et scis nobis praeter stilos plumbeos esse graphia pennis ex chalybe confectis instructa.

L. Certe hoc melius pennis anserinis nostrorum maiorum vel antiquorum calamis, quorum crena scalpello erat temperanda.

P. Adde his atramentum cum atramentariis et bibulam...

L. At ubi est stilographus [1])? Eheu, satis est. Magis nunc sumus onusti discipuli, quam asini molitorum!

P. Rides? Revera mei me miseret, et te putabam condolere nostrae sorti.

L. Et tu ridebis aliquando de his aerumnis. Sed iam stamus in porticu gymnasii. Vale, mi Petre!

P. Vale, Ladislae, meique curam habe.

Sunt etiam *introductorii* sive *isagogici* (*gr.* εἰσαγωγή) *libelli* qui primas doctrinae notiones tradunt. *Anthologia* (gr. ἡ ἀνθολογία ex ἄνθος, τοῦ ἄνθους 'flos' et ὁ λόγος 'ratio') tradit selecta auctorum opuscula aut axiomata (gr. τὸ ἀξίωμα 'sententia'), *epitome* vero (gr. ἡ ἐπιτομή ex ἐπί et ἡ τομή 'sectio' quasi latine dicas 'resectio') compendium sive abbreviationem opusculi alicuius. *Mappae* proprie sunt lineae materiae frusta, quibus mensae sternuntur; at *mappa mundi* est geographice pictus orbis terrarum conspectus.

[1]) Stilographum dico stilum atramentum intus habentem.



Videtis hic imagunculam Alberti Dürer Norinbergensis quae ludi magistrum cum ferula pueros erudientem repraesentat. Hanc imaginem accuratius describatis: optima omnium descriptio praemium sortietur.

NARRATIO PUERI GRAECO-LATINA

Saeculo fere quarto composita est sequens narratio, qua puer nobis describit quid ante meridiem fecerit. Narratio ipsa in hunc finem composita est, ut pueri Romani linguae graecae vocabula ediscerent copiamque vocum latinarum augerent. Idem plane et nos facimus. Scholam fuisse diversam a nostra statim videmus, cum diversae classes in uno fuerint atrio, magistrumque discipuli profectiores adiuverint. Sed iam audiamus puerum graece latineque haec loquentem :

Πρὸ τοῦ ὄρθρου ἐγρηγόρησα ἐξ ὕπνου· ἀνέστην ἐκ τῆς κλίνης· ἐκάθισα· ἔλαβον ὑποδεσμίας, σανδάλια· ὑπεδυσάμην· ᾔτησα ὕδωρ εἰς ὄψιν· νίπτομαι πρῶτον τὰς χεῖρας, εἶτα τὴν ὄψιν· ἐνιψάμην· ἀπέμαξα· ἀπέθηκα τὴν μίτραν· ἔλαβον χιτῶνα πρὸς τὸ σῶμα· περιεζωσάμην· ἤλειψα τὴν κεφαλήν μου καὶ ἐκτένισα· ἐποίησα περὶ τὸν τράχηλον ἀναβόλαιον· ἐνεδυσάμην ἐπενδύτην λευκόν· ἐπάνω ἐνδύνομαι φαινόλην· προῆλθον ἐκ τοῦ κοιτῶνος σὺν τῷ παιδαγωγῷ καὶ σὺν τῇ τροφῷ ἀσπάσασθαι τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα· ἀμφοτέρους ἠσπα-

Ante lucem evigilavi e somno; surrexi de lecto; sedi; accepi pedules, caligas; calciavi me, poposci aquam ad faciem; lavo primo manus, deinde faciem; lavi; extersi; deposui mitram; accepi tunicam ad corpus; praecinxi me; unxi caput meum et pectinavi; feci circa collum pallam; indui me superariam albam; supra induo paenulam; processi de cubiculo cum paedagogo et nutrice salutare patrem et matrem; ambos salutavi et

σάμην καὶ κατεφίλησα καὶ οὕτως κατῆλθον ἐκ τοῦ οἴκου.

'Απέρχομαι εἰς τὴν σχολήν· εἰσῆλθον· εἶπον· „χαῖρε καθηγητά“. καὶ αὐτός με κατεφίλησεν καὶ ἀντησπάσατο· ἐπιδίδωσί μοι ὁ παῖς ὁ ἐμὸς πινακίδας θήκην γραφεῖον· ἐξάγω γραφίδα τῷ ἐμῷ τόπῳ καθήμενος· λειαίνω· περιγράφω πρὸς τὸν ὑπογραμμόν, γράψας δὲ δεικνύω τῷ διδασκάλῳ. ἐδιώρθωσεν, ἐχάραξεν· κελεύει με ἀναγινώσκειν· κελευσθεὶς ἄλλῳ δέδωκα· ἐμάνθανον ἑρμηνεύματα, ἀπέδωκα. „'Αλλ' εὐθέως ὑπαγόρευέ μοι.“ ὑπηγόρευσέ μοι συμμαθητής. „Καὶ σύ“ φησίν. εἶπον αὐτῷ· „'Απόδος πρῶτον.“ καὶ εἶπεν ἐμοί· „Οὐκ εἶδες ὅτε ἀπεδίδων πρότερον σοῦ;“ καὶ εἶπον· „Ψεύδῃ· οὐκ ἀπέδωκας.“ „Οὐ ψεύδομαι.“ „Εἰ ἀληθῆ λέγεις, ἀναδίδωμι.“

'Εν τούτοις κελεύσαντος τοῦ καθηγητοῦ ἐγείρονται οἱ μικροὶ πρὸς τὰ στοιχεῖα καὶ τὰς συλ-

deosculatus sum et sic descendi de domo.

Proficiscor ad scholam; intravi; dixi „ave magister;“ et ipse me deosculatus est et resalutavit. tradit mihi puer meus tabellas thecam stilum; produco graphium meo loco sedens; deleo; describo ad exemplar, ut scripsi autem, ostendo magistro; emendavit, induxit; iubet me legere; iussus alii dedi; ediscebam interpretamenta; reddidi. „Sed statim dicta mihi.“ dictavit mihi condiscipulus. „Et tu“ inquit. dixi ei „Redde primum.“ et dixit mihi „Non vidisti cum redderem prius te?“ et dixi „Mentiris, non reddidisti.“ „Non mentior“. „Si vera dicis, dicto.“

Inter haec iubente magistro surgunt pusilli ad elementa et syllabas; di-

λαβάς· κατέλεξεν αὐτοῖς εἷς τῶν μειζόνων· ἄλλοι πρὸς τὸν ὑποδιδακτὴν τάξει ἀποδιδόασιν ὀνόματα, γράφουσι στίχους, ἔγραψαν, καὶ ἐγὼ ἐν τῇ πρώτῃ τάξει ἅμιλλαν ἐξέλαβον. ἔπειτα ὡς ἐκαθίσαμεν, διέρχομαι ὑπομνήματα γλώσσας τέχνην. φωνηθεὶς πρὸς ἀνάγνωσιν ἀκούω ἐξήγησιν διανοίας πρόσωπα· ἐπερωτηθεὶς τέχνην ἀπεκρίθην πρὸς „Τίνα λέγεις; τί μέρος λόγου;“ ἔκλινα γένη ὀνομάτων· ἐμέρισα στίχον.

numeravit eis unus de maioribus; alii ad subdoctorem ordine reddunt nomina, scribunt versus, scripserunt, et ego in primo ordine dictatum excepi. deinde ubi sedimus, pertranseo commentaria linguas artem; vocatus ad lectionem audio expositionem sensus personas. interrogatus artem respondi ad „Quem dicis? quae pars orationis?“ declinavi genera nominum, partitus sum versum.

Ὡς δὲ πάντα ταῦτα ἐπράξαμεν, ἀπέλυσεν εἰς ἄριστον, ἀπολυθεὶς δὲ ἐπανέρχομαι εἰς τὸν οἶκον· ἀλλάσσω· λαμβάνω ἄρτον καθαρόν, ἐλαίας τυρὸν ἰσχάδας κάρυα, πίνω ὕδωρ ψυχρόν. ἠριστηκὼς ἐπανέρχομαι πάλιν εἰς τὴν σχολήν· εὑρίσκω τὸν καθηγητὴν ἐπαναγινώσκοντα, καὶ εἶπεν· „Ἄρξασθε ἀπ' ἀρχῆς.“

Ut autem haec omnia egimus, dimisit ad prandium. dimissus vero redeo domum; muto; capio panem candidum, oleas caseum caricas nuces, bibo aquam frigidam. pransus revertor iterum ad scholam. invenio magistrum perlegentem, et dixit: „Incipite ab initio.“

II. BIBLIOGRAPHIA

Quos libros Palaestritis aut potius Philomathis maxime commendemus, non diu dubii haeremus. Sunt enim praeter commentarios vestros quibus est titulus Filomata et Ioannis Marouzeau *Narratiunculas de lingua latina* (*Pogadanki o łacinie*), quas quisque sanctae antiquitatis cultor habere tenetur, imprimis elucubrationes opusculaque Thaddaei Zieliński, unde praestantissimus maximeque limpidus manat fons cognitionis operum et institutorum antiquorum, ex quo qui biberit, non solum sitim cognitionis sedabit, sed et pectoris ardorem denuo inflammabit. Talem effectum — si antiquis credas — habuit unus a poetis celebratus fons Hippucrene sub pedibus Heliconis profluens, cui poetae suam artem se debere profitebantur: talem effectum habuit et fons Castalius, cuius aquâ gustatâ Pythia Delphica in divinum versa furorem vaticinabatur. O terque quaterque felices nos quibus libri nostri vatis ac magistri et Hippucrenes et Castaliae fundunt virtutes! Inter quos libros vestro captui praecipue hi videntur apti et accommodati:

Starożytność antyczna a wykształcenie klasyczne — constat pretio 0,40 aur. pol.

Świat antyczny a my — constat 3 aureis polonis.

Hic liber fortasse notissimum et celeberrimum est opus viri docti, nam in omnes fere linguas con-

versus in toto orbe terrarum studia humaniora contra maledicorum et ignarorum contumelias defendit. Nemo unquam tam solidis rationibus latinae graecaeque linguae nunc commendavit studium, nec quisquam utilitatem quam studiosus ex antiquorum lingua et poesi et institutis capere possit, melius demonstravit. Non ergo liber eget commendatione nostra — nam quisquis eum ignoraverit aut gnarus praeterierit, potius sibi quam libro deesse videtur. Neque imaginari licet hominem, qui hunc librum legerit rationesque ibi explicatas penetraverit, non summo studiorum humaniorum amore captum esse. Haec non ad libri vel auctoris laudem, sed ad vestram utilitatem dicta putate: nam et liber, quem tot nationes comprobarunt, et auctor, quem omnes suspiciunt, maior est nostra laude.

Irezyona. Klechdy attyckie. Series I i II singulae 1.60 aureis, ambae 3,20 aureis polonis.

Historja kultury antycznej tomus I 1,60 aur., tomus II — 5,60 aur.

Z życia idej. Studja i szkice 12 aur.

Świat antyczny. I Starożytność bajeczna 18 aur.

Est praeterea unus libellus, plurimis multicoloribus imagunculis insignis, qui de origine et progressu belli Troiani optime vos instruet vilique pretio venit: Laura Orvieto, *Opowiadania z dawnych, dawnych czasów* — constat 3,60 aureis polonis.

Omnes hi libri prostant in Administratione Palaestrae (R. Ganszyniec, Lwów, ul. Potockiego 20).

III. VER SACRUM

ODE IN COMMENTARIOS C. T. FILOMATA

Ut solis alti lumine lucidus,
Splendore magno nuntius enitens,
Libelle, nunc apparuisti
Ante oculos tibi devolantes.

Libelle, salve! Iam valeo bene.
Nam laetus aeque corripui manu
Te, consolatorem facundum,
Quem intuitus bono amore dono.

Pulchra afferenti, me tibi gratias,
Lectore dignas nunc agere est opus,
Labore qui cotidiano
Cura animum eripuisti acerba.

Tu suaviter me transtuleris potens
Graecorum in agros, Vergilii in domos;
Ego memor semperque gratus
Constituo tibi amicus esse.

THADDAEUS SZPACZYŃSKI
olim discipulus gymnasii ad
S. Hyacinthum Cracoviae

VERSIO POEMATIS ADAMI MICKIEWICZ C. T. JUŻ SIĘ Z POGODNYCH NIEBIOS...

Nauta, iam caelum serenum nebulis tristibus detersis aperitur! Remum cape ventisque accommoda vela. Manu otio firmatâ salis spumas rue, dum tibi late aequora patent. Ne animi vobis refringantur, dum aestus alti horrescitis, comitesque vobis pauci navisque fragilis. Neque fuit illi cervix ex robore neque ex aere pectus, qui primus se undis pellacibus credidit, metamque fragili trabe petens, quamquam ei di superi infernique infesti irascebantur, tamen virtuti suae confisus plenusque cupidinum audacium caelestes inferosque debellavit et vellere aureo potitus est. Nos si cupidine audaci non in gradibus inferioribus ponimur, dum novo fundamento struimus, nostrique labores, quaeque petimus illorum heroum eisdem magnitudine nobilitateque pares, exemplis illustribus heroum Graeciae utamur. Qui primi cum patrios lares relinquerent, tamen non sunt gravitate tanti itineris perterriti. Licetne nos carceres ineuntes metu tremere, si unus quisque labor superatus quasi gradus est, quo ad gloriam nitamur? Qui ad salutem communem varia ingenia contulerunt, alter virium magnitudinem, alter aciem acrem, alius citharae sonos. Nobis ita agendum est, ut omnia facile adipiscamur, nam paucis modo ingenia, studia tamen nulli desunt. Omnes suscepta peragere cupiamus, quamquam donis deorum non pari modo sortitis peregerit, qui potuerit. Sed campo ad magnas res gerendas patente ipsa illa ingeniorum differentia minime nocere videtur. Fortunatus, qui primus coronam adeptus est, nam et sibi gloriam comparavit, aliosque ad laudem petendam incitabit. Quo ne tamen ad superbiam inanem adducamur, nos arborem non ex foliis, sed ex frugibus utilem esse docet cognoscentibus. Itaque non nobis applausum esse palmamque honorificam nos accepisse, sed nos

utilitatibus commodisque maioribus aliorum servire iactemus. Utinam his verbis quisque nostrum sicut iuvenis ille Graecus virtutem suam pronunciet: „Maiores mihi vires, quare graviorem mihi armaturam date“. Donec metam petens signatam nullus cursu turbam currentium antecedit, vulgus competitores porro conspiciens, tacitum immotumque, quis sit praemio dignus, exspectat. Sed ut semel te ex turbâ concurrentium deprompsisti, non sunt tibi vestigia opprobrio aeterno instante premenda, ne turba, quam post te reliquisti, supremis viribus usa intensisque te consequatur. Nam si tu virtutibus ingenioque illustris omnibus anteponeris, quo aliorum gloria augebitur eodemque tua minuetur. Nonne gaudet vulgo applaudente, qui victor competitorem publicâ in arenâ superavit? Sed heros centauros qui debellavit, non lauro athletarum illiciebatur. Quare si quis ad gradus superiores enititur, statim ille obligatur cogiturque, maiores quoque labores suscipiat aliosque non petendo gloria eius minuetur. Vos ego alloquor, quos fratres appellare amo. Vobis, civitatis qui columina futura et laus videmini, qui naturâ matre largiore usi estis, eo magis regionibus superioribus occupatis pennis laborandum est, ut arces excelsas gloriae occupantes alios quoque fraternis luminibus illuc incitetis. Nobis vero, qui gradibus inferioribus ponimur, vestris vestigiis insistere honori erit. Achille dis gratos viros ad pugnam provocante magno pretio etiam decimae erant coronae. Has accipiamus, cordibusque invidia prohibeatur, neque in ea aspis atra odii insinuetur, praesertim cum suâ quisque voluntate ad hoc sodalicium ineundum adductus sit, laborque deus noster, at amicitia signum nostrum haberi videatur. O utinam orbis olim totus concordes coniungat manus, nostrum signum suum appellet nostrisque dis tura afferre coeperit! Sed insanus modo ex his initiis intelleget nobis omnibus aditus patefaciendos esse, nam non diu aedificium rimâ carebit, si in eo struendo architectus non magnâ cum curâ delectis usus est

saxis. Itaque nos si laborem frustra suscipere non iuvat efficiendum nobis est, ut digni tantum nobis se iungant. Ad hoc vero consilium utilissimum consequendum electio diligens maxime profutura esse videtur. Samius ille rerum naturae cognitione exercitatus, dum veritatem longe retectam velabat et arcanae virtutis dominationi mundum aperiebat, non quemquam eorum, qui ab eo erant, passus est fratrem quoque suum esse. Sic Orpheus dicitur fecisse populum mansuefaciens ferum, haud secus mysteria Eleusinia peracta sunt. Nobis quamquam multae volentium turbae occurrent, non eadem omnibus cupiditas, non idem consilium, eisque tegminibus perfidiae callidae exutis nonnulla faux lupi in vellere ovis invenietur. Hic avaritiâ caecé agitatur, superbiâ ille, qui multis sodalibus famulis vult uti. Simul autem ambagibus suis decipientur, in vexatores acerrimos vertentur amici. Alius ad brevem cupidinem satiandam aut rem cognoscendam res difficillimas suscipere non dubitabit. Sed ut crustulo puer illectus est, sic minimâ laecus offensione ille in studio suo refrigerabitur. Talibus advenis si aditus ad nos non patebunt, si ut agebamus concordes agemus, si propriarum offensarum obliti omnibus studiis ad communem salutem nitemur, futura praedicam ex tempore praeterito iudicans: nos aliis exemplo, sibi laudi futuros esse.

THADDAEUS SOKOŁOWSKI, cl. VIII b
gymnasii I humanistici Kołomyiensis

IOANNES OWEN, BIAS

„Omnia“, qui dixit, „mea mecum porto“, videtur
Uxorem sapiens non habuisse Bias.

IV. SATURA LANX

Quid hominem canum faciat.

Cum quidam fatuum interrogaret, quid eum canum faceret, respondit: „Crines“.

De quodam studioso.

Quidam litterarum studiosus, cum magnos sumptus fecisset, quorum rationem patri reddere non poterat, domum litteras mittit quibus se mortuum esse scribit, et patrem orat, ut certam sibi pecuniae summam mittat, quo honeste sepeliri possit.

De histrione.

Histrio quidam cum noctu quosdam fures in domo sua deprehendisset, ait ad illos: „Nescio quid vos nocte hic invenire vultis, cum sereno die ego nihil reperire possim“.

De magno anno Platonis.

Duo philosophastri in quadam caupona divertebant ad hominem senem et facetum. Atque cum noctu inter bibendum multa de philosophorum sententiis disputassent, praecipue de magno anno Platonis, qualiter post triginta milia annorum iterum apud eundem cauponem et in eodem diversorio reciperentur (cum periodo repetita omnia repetantur), tandem rogaverunt senem, ut interim symbolum

(i. e. solutionem pretii pro consumpto cibo et potu) facete differret: tunc enim, cum revenerint post magnum annum Platonis, symbolum soluturos pollicentur. Ad quod facete caupo: „Exacto, inquit, anno, ante videlicet triginta milia annorum, etiam fuistis hic symbolum habentes et nondum solutum est: solvite ergo praeteritum et ego solutionem illius differam usque ad futurum annum“.

Fabellae de cauponibus.

Caupo quidam erat suspectus, quod vinum suum aquatum duceret. Unde quidam noti clam ignoranti in oenophorum seu vasculum, quo eis vinum afferebat, pisciculos imposuerunt. Et cum vitro vinum infunderet, invenit caupo et vidit pisciculos atque ad convivas conversus dixit: „Fateor profecto ingenue, nimium aquae infudi vasis vinariis, alioqui enim pisces non fuissent nati”.

Quidam in alio diversorio a puellula aquam petivit, ut vinum commisceret, quo vis eius reprimeretur. Dixit puella ignara: „Non opus est: pater hesternâ nocte totam hydriam infudit“.

Cum alius caupo noctu in cellam vinariam magnam aquae vim anhelans portaret, videbat qui cum eo diversabatur atque ignem esse tumultuarie denuntiavit, quo homines ad illum sedandum excitaret. Cui hospes: „Cur ita clamas?“ — „Credebam, inquit ille, ignem esse in cellario, cum te ita aquâ oneres illucque crebro cursites”.

AENIGMATA

1. O quid tua te
be bis bia abit

2. In caelis est una novem vox scripta figuris,
Tres *fel* habet, cunctas sed *cita felis* habet.

3. Oscula dat nymphae, cui multa foramina, pastor,
Quae clamat toties, oscula dat quoties.

4. Saltibus, ut in scacchiorum ludo usu venit, adhibitis colligantur elementa ita, ut notum efficiant proverbium latinum:

E	A	A	O	I	R	N
M	R	A	E	T	M	T
M	F	O	C	R	U	E
E	I	O	I	R	I	E




HENRICUS HOLDER, cl. VI
I gymnasii Kołomyiensis

Aenigmatum solutiones mittantur redactori ad Kalendas Octobres. Sortibus missis 4 praemia distribuentur fortunatis.

Palaestra. Pretium annuae subnotationis est 3,50 aur. pol. Singuli fasciculi veneunt 35 grossis. In pretio mittendo attendas velim accurate numerum **PKO 154.894**; quem noli confundere cum aliorum commentariorum numero postali.

IMPRESSUM IN TYPOGRAPHIA UNIVERSITATIS, LEOPOLI, VIA PISTORIA 3
DIRIGEBAT R. GANSZYNIEC, LEOPOLI, AD VIAM ANDREAE POTOCKI 20

Palaestra prodit semel in mense, exceptis Iulio et Augusto. — Constat 35 grossis
Opłata pocztowa opłacona ryczałtem. — Wrzesień — PKO Warszawa 154.894


PALAESTRA
1930
N. 2



INDEX RERUM:

IN TEGUMENTO: RUINAE TEMPLI GRAECI

Iterum condiscipuli Chelmsensis Pomoranorum pictura tegumentum Palaestrae exornat: Ignatius Dominowski symbolicam imaginem ipse commentatus est in fasciculo 10 Filomatae paginâ 236 num. 2 — ubi auctor de opere suo loquitur, commentatoribus profecto est tacendum. Sed auctor non omnia ex proprio imaginationis scrinio deprompsit: invenias enim talia Graeciae loca, quae huic imagini ad vivum respondent. Ingens mare, e quo rubicundus emergit sol omnia claritate vestiens et exornans, dominatur praeceps petra petraeque corona conspiciuntur templi vel sacelli ruinae, unde di Graeci prospiciebant in maris mundique immensitatem. Primum quod nauta ex alto ad terram appellens advertit, huius templi erant columnae resplendentes: di quodammodo salvere eum iubebant eorumque salutatio salutem portendebat nautae, qui terram ingressus in templum properabat, ut donis grati animi sensum manifestaret. Nunc quod erat religionis monumentum, naturae factum est ornamentum: ipsae ruinae videntur esse non tam busta deorum qui illic patronabantur, quam sanctae Graeciae, quae suis cum dis maluit dirui quam barbariem illustrare. Et coemeterio est sua maiestas bustisque sua pulchritudo. Ideoque saepe videmus nostratum tumulos exornatos columnae fragmento, consulto ita a lapidario fabricato, aut regum hortos ruinis templorum antiquorum, quae a nostri aevi architectis et caementariis sunt constructae, lepide illustratos. Nonne ruinae hae sunt unum ex eximiis decoribus Balneorum Stanislai Augusti regis Polonorum (Łazienki), quae sibi Varsoviae construxit? Conciderunt monumenta, restabant ruinae: at magis veneramur tumulos heroum quam eorum aedes, ubi sunt nati et vixerunt — hic enim degebant ad tempus, ibi manent in aevum. Si qua ergo religio in pectoribus nostris, veneremur maiestatem ruinarum.



DE PECULIARI LITTERARUM LATINARUM SCHOLA IN ATHENAEO GREGORIANO CONSTITUENDA

Latinarum litterarum quae quantaque sit dignitas ac praestantia, nulli obscurum putamus, qui antiqua earum monumenta non ignoret atque in humanitatis optimarumque artium studiis aliquem sensum habeat. Romani enim scriptores — quos perperam dixeris, exscribendo imitandoque, meros Graecorum pedisequos fuisse, cum horum, contra, sapientiam atque inventa ad patrium accommodaverint ingenium suâque ipsorum industriâ elaboraverint — tali commentaria et volumina sua rerum sententiarumque gravitate ornavere, eamque in amplo apteque composito verborum circuitu praeferunt maiestatem cum concinnitate elegantiâque coniunctam, ut latinam linguam, quae, in omnes gentes pervagatissima, Imperii universitati servierat, Romanus Pontificatus delegerit habueritque dignam, quâ tamquam magnificâ caelestis doctrinae sanctissimarumque legum

veste uteretur. Nec facile quisquam infitiabitur, complures e Patribus, Doctoribus et christianae fidei defensoribus latine ita scripsisse, ut optimis ethnicorum non multum vi ac venustate orationis cedere videantur, idque praeterea Ecclesiae esse honori tribuendum, quod non modo vetustissimos latinos codices iniuriae temporis eripuit incolumesque posteritati servavit, sed etiam quod, hac latinitatis laude si qui saeculorum decursu floruerunt, ii plerumque aut in utroque clero numerabantur aut Urbis plausum ac praemia assecuti sunt. E quâ quidem operosae artis quasi palaestrâ alium percipi licere fructum, eundemque sane laetissimum, est apud intellegentes communiter receptum: scilicet, quo plus studii laborisque in latinas insumitur litteras, eo maiorem inde efficientiam aptioremque verborum structuram ad usum patrii sermonis traduci. Quo in genere memoriae proditum est, Iacobum Bossuet et Paulum Segneri, qui inter oratores suae quisque gentis principem locum obtinent, solitos fuisse dicere, si quid dignitatis ac virtutis in suis orationibus esset, id se in primis Marci Tullii studio acceptum referre.

Cum igitur non tam humani civilisque cultus quam religionis ipsius Ecclesiaeque catholicae interesset, latini sermonis plenissimam in clero scientiam provehi ac propagari, eandemque non praeceptis et arte circumscriptam, sed etiam ad usum exercitationemque polite ornateque scribendi translatam,

nihil mirum, si decessores Nostri numquam, pro rerum temporumque condicione, sibi temperaverunt, quin latinitatis rationibus prospicerent: quod eo studiosius egerunt, quo deteriorem in statum latinae litterae decidissent. Quem quidem suum purioris latinitatis amorem iidem Romani Pontifices vel hoc ipso ostendere visi sunt, quod, quotiescumque sibi licuit — atque non uni quidem eorum licuit — adiutoribus usi sunt latinae scriptionis haud mediocriter peritis. Commemorare autem vix refert, cum in re versemur notissimâ, quam impense immortalis memoriae decessor Noster Leo XIII litterarum disciplinam, praesertim latinarum, in clericis provehere studuerit. Ad Nos vero quod attinet, quae hac in re esset mens Nostra, haud semel — datis videlicet Epistolis Apostolicis *Officiorum omnium* et *Unigenitus Dei Filius*, altera die I mensis Augusti anno MCMXXII, altera XIX mensis Martii hoc anno (1924) — aperte significavimus: sive enim de Seminariis et de studiis clericorum promovendis, sive de alumnis Ordinum regularium aliarumque Sodalitatum religiosarum rite instituendis loquebamur, non tam peremptorium, ut aiunt, Codicis praescriptum invocavimus, quam, additâ argumentorum copiâ, velle Nos diximus, praecipuâque quâdam voluntate, ut linguam latinam uterque clerus haberet scientiâ et usu perceptam. Quâ in re etsi non dubitamus, quin adfutura Nobis sit moderatorum diligentia, in quos cura et periculum recidit aptae suorum institutionis, in spem sacri or-

dinis succrescentium, nullum tamen non experiri consilium volumus, ut laus illa, quae antehac in utroque clero eluxit, perfectioris latinitatis, ne omnino depereat, immo etiam, quoad fieri poterit, feliciter augescat. Consentaneum enim est, ut Romanae Curiae, Cancellariis episcopalibus, religiosis Sodalitatibus adiutores seu officiales non desint, qui in decretis sententiisque conficiendis, in epistolarum, quod vocant, commercio, tam decore latinum tractent sermonem, ut eorum scripta Ecclesiam, optimarum artium altricem, nullo pacto dedeceant.

Itaque haec, quae sequuntur, motu proprio, apostolicâ Nostrâ auctoritate decernimus:

I. Apud Athenaeum Gregorianum, Societati Iesu iterum centesimo ante anno ab Apostolicâ Sede concreditum, a proximo mense peculiaris esto Schola litteris latinis tradendis.

II. Quaecumque Societatis vel Athenaei moderatores ad tale munus, de Nostro consensu, delegerint, is sibi religiose proponat, ut auditores, seu praestantissimorum latinitatis exemplarium commentatione, seu crebris latine scribendi exercitationibus, ad exquisitiorem orationis formam excolat atque evehat.

III. Eiusmodi litterarum latinarum curriculum, in praesens atque interim, biennio contineatur, Auditoribus, qui, post completum biennium, se, periculo facto, delectis iudicibus probaverint, testimonium, seu diploma, curriculi egregie peracti tradatur. Quod quidem testimonium, seu diploma, quicumque impetrarint, iidem in certaminibus ad quaevis officia apud

Sacras Congregationes, Curias dioecesanas et Seminariorum ludos consequenda propositis, ceteris paribus, praeferantur.

IV. Qui, dato post biennium latinae scriptionis experimento, non modo reliquis condiscipulis praestiterit, sed iudicibus peculiari dignus praemio communiter visus erit, eundem nomismate aureo donabimus.

V. Schola omnibus pateat, ne laicis quidem hominibus exceptis. Eandem celebrari cupimus ab iis etiam Seminariorum religiosarumque Sodalitatum alumnis, qui aut domi aut apud alia Athenaea docentur, immo — quod certe emolumento vacuum non foret — vel a sacerdotibus iunioribus, qui Romanae Curiae operam suam navant. Episcopi autem Italiae atque exterarum gentium rem dioecesibus suis utilissimam Nobisque pergratam facturi sunt, si quos habent clericos hic disciplinis sacris imbuendos, eorum aliquem, prae ceteris ad latinitatis studia propensum, Scholam propediem aperiendam frequentare iusserint.


Quae quidem supra constituimus, ea rata firmaque sunto, contrariis quibuslibet non obstantibus. Interea, Dei praesidio in primis, praetereaque operae dilectorum filiorum Praepositi Generalis Societatis Iesu et Athenaei Gregoriani moderatorum, quorum erga Nos pietas atque observantia est Nobis exploratissima et probata alias haud semel voluntas rerumque agendarum sollertia, ut res ita bene vertat, quemadmodum velimus, vehementer confidimus.



SENEX ET MORS

Lignatum egressus nemorosi ad culmina montis
Confecto sub fasce senex onus inde ferebat:
Cumque labore viae, atque iniusto pondere pressus
Abiecisset onus, solis deprensus in aevis
Mortem implorabat, mortem saepe ore ciebat.
Ecce autem huic dirae species se pallida mortis
Obtulit, et si quid vellet, praesto esse professa est.
Ille metu sudans, atque in contraria versus
Vota: „Iuva, me, inquit, tergo hunc imponere fascem!“

Multi abeuntem audent mortem contemnere, quae mox
Terret eos, veris repraesentata periclis.



VULPES ET UVA

Vulpes esuriens, altâ de vite racemos
Pendentes nullâ cum prensare arte valeret,
Nec pedibus tantum, aut aegre se tollere saltu,
Re infectâ abscedens, haec secum: „Age desine“, dixit,
„Immatura uva est, gustuque insuavis acerbo“.

Consuevere homines, eventu si qua sinistro
Vota cadunt, iis sese alienos velle videri.

ETYMOLOGIAE II

Ante omnia ergo in quaerendâ vocis etymologiâ eruenda est origo vocis, scilicet qua ex linguâ procedat. Quantum hoc referat aliquot exemplis allatis libet illustrare. Verbi gratiâ in balneis Krynica dirigit musicorum collegium quidam Iacobus Kagan: cum in Poloniâ simus, nihil videtur esse magis consentaneum, quam nomen hoc deducere ex polono *kagan-iec* 'frenum ori applicatum'. At Iudaeus est ille musicorum director Iudaeosque in Poloniâ, si polonum sortiti sint nomen, sola nobilia adoptare novimus: ita v. gr. fratres huius Iacobi Kagan appellantur alter Kochański, alter Kochanowski. Ergo iam polona nominis origo suspecta est. Cum gens Kaganorum eam Poloniae partem, quae olim sub Rossorum erat dicione, incolat, nomen potuit esse aliud, scil. *Kahan;* in rossico enim alphabeto *h* deficiente nomen tradebatur per *Kagan:* et cum recens lex polona iubeat in nominibus reddendis quam accuratissime transcribi elementis polonis litteras rossicas (huic decreto debes talia monstra nominum, ut *Ajzenberk* pro *Eisenberg*, *Sztajnberk* pro *Steinberg* etc.), non licuit immutare illud *Kagan* in nativum *Kahan.* Iam *Kahanorum*, *Cohenorum* etc. gentile maxime esse commune in Iudaeis scimus: nomen derivatur ab hebraeo *kohen* 'sacerdos'.

En aliud exemplum. In proximo fasciculo ex-

plicavi originem vocis polonae *lampa* 'lampas'. Huius vocis deminutivum est *lampka* 'lampadula', ut sunt v. gr. portatiles lampadulae electricae, quae in vestimenti sinibus et capsis conduntur. Non ita pridem poetae nostri adhibent facetam locutionem *lampka* ad designandum calicem, v. gr. *lampka wina* 'calix vino repletus'. Certe plurimi vocem hanc 'lampadulam' dicere putant. At egregie falluntur, quia his vocibus nihil est commune praeter sonos. Nam illa locutio *lampka wina* traducta est e francogallico *une lampée de vin* 'haustus vini'; vox vero *la lampée* deducitur a verbo *lamper* 'bibere' vel potius 'ligurire'; quae forma verbi iam est defigurata, proprie enim sonat *laper* 'bibere, ligurire ut canes'.

Vides ergo quam fallax sit vocis species. Idemque accidit in litteris antiquis. Ut exemplum afferam, plurimum refert nomenne Philippi e latino deducas an e graeco. Audi „pulchram etymologiam nominis Philippi" cuiusdam poetae — ni memoria me fallit, Ioannis Oweni — quae nomen hoc deducit e latino:

> *Phi* nota foetoris, *lippus* malus omnibus oris:
> Phi malus et lippus, totus malus ergo Philippus.

Phi enim est interiectio horrorem exprimens (franc. *fi*, pol. *fe*), *lippus* homo oculis laborans — lippitudinem saepe mali pectoris signum putabant. At nos non latet vocem esse potius graecam (Φίλιππος) et

tunc omnino alia reperitur nominis vis: Φίλιππος est φίλος ἵππων 'amans equorum' nobilemque militis indicat amorem equorum.

Hoc sane exemplum facile erat explanatu. At sunt alia exempla plurima, ubi docti disputant de vocis origine, quae reverâ est intricata, praesertim cum vox sit aliquantum immutata, ut vidimus in voce *lampka.* Immutatio enim vocis — hoc bene memineritis velim — numquam fit casu, sed eo consilio, ut vox rarior vel obscurior explicetur. Ita v. gr., si Varsaviae quaeres, ubi sit via cui nomen *Nowiniarska*, omnes illam veteris urbis regionem habitantes te corrigent et dicent: „En via *Nowowiniarska* sita est ad dextram!" ignorantes videlicet huius viae nomen derivari ab eo, quod olim illic sita erat typographia actorum diurnorum quibus erat titulus *Nowiny (warszawskie)*: ignotam ergo viae denominationem nunc non a *nowina* 'nuntius', sed a *wino* 'vinum' derivant. Eandem ob causam, qui nunc sunt, Itali multa antiqua nomina non intellegentes defigurant; ita *Porta Nomentana* antiquorum nunc facta est *Porta Lamentana*, quamquam nihil ei sit commune cum lamentatione; Itali nunc venerantur Mariam Dominam soricum — sorex est species murum — *(Madonna dei sorci)*, quam fuisse antiquitus Dominam Suricorum, gentis olim non incelebris, ingeniose docti demonstrarunt. Talis vocis deflexio hanc ob rem facta, ut ignotam vocem

explicet, vocatur etymologia vulgaris, quia vulgus hic philologi vices gerit, quamquam — ut vidimus — semper fere errat. Immo erronea explicatio distinguit etymologiam vulgarem a doctâ et aptâ. Nihilominus cave ne etymologiam vulgarem vilipendas: non enim communior tantum est, verum et apud doctos plurimam obtinet fidem, ita ut saepe solummodo casui aut sagacitati ingenti veram vocis explanationem debeamus.

Exemplo sit nomen *Aboriginum* Italiae. Nonne omnes didicimus primigenium Italiae populum fuisse Aborigines, quod nomen, cum dicatur *ab origine,* designet simpliciter, ut graecum αὐτόχθονες 'incolae in ipsâ terrâ nati', homines aliunde non immigratos? Confirmant hanc opinionem antiquorum testimonia, inter quae eminet Catonis liber *de Aboriginibus* et Varronis auctoritas. Sed audi nostrum Thaddaeum Zieliński qui asserit omnes et antiquos et recentioris temporis doctos falli, Aboriginum enim nomen deberi etymologiae vulgari primigeniamque nominis formam esse aliam *(Borigenes)* eamque derivatam a graeco Βορειγενεῖς, qui sint iidem cum fabulosis Hyperboreis. Reverâ argumenta nostri philologi sunt eiusmodi, ut non liceat dubitare eum acu rem tetigisse: et non possumus non mirari doctos, qui solidis luceque clarioribus rationibus, paene dixi: rationi, antiquorum nugas malunt anteponere. (r. p. tr.)

COLLOQUIUM PAULI ET GUILIELMI

Paulus: Iam vesperascit[1]). Accendenda est lampas[2]).

Guilielmus: Adhuc bene oculi litteras discernunt, sed obsequor. En lampas — supplendum videtur oleum.

P. Oleum? Non sumus Romani qui olivarum aut lini aut seminum rapae oleo utebantur. Certe dicturus eras naphtham vel petroleum.

G. Nolo tecum contendere, sit petroleum. Antiquorum laudo lucernas quae nostris erant simpliciores: erat enim vasculum oleo repletum funiculoque instructum.

P. Beatam illam laudas vitam quae nostris commodis carebat?

---

[1]) Vesperascere dicimus crepusculo, cum videlicet vesper appropinquat; vesperi tenebrescit, pervesperi (h. e. sero vesperi) densae sunt tenebrae; approximante die habemus diluculum, post diluculum auroram — tunc lucescit caelumque rubet; postea diescit (h. e. fit dies) et lucet. Meridie altus est dies; post meridiem (vel: horis pomeridianis) dies declīnat (sol declinat ad occasum).

[2]) Lampas, lampadis f. (de voce vide Palaestram fasc. 1 paginâ 16) latine dici potest lucerna: melius tamen lucerna nobis designabit vas fictĭle aut metallicum oleo repletum. — Olim homines usi sunt taedis (taeda, -ae), h. e. ligneis festucis resinâ delibutis, ut sunt ligna abietum aut pinorum, aut facibus (fax, facis f.), h. e. funibus oleo, pice aut resinâ imbutis; denique candelis (candēla, -ae a verbo candeo), quae erant funiculi sebo involuti, aut cereis (cerĕus, -i), in quibus cera circumdabat funiculos; cerae vice nunc vulgo fungitur stearīnum (e gr. τὸ στέαρ, τοῦ στέατος 'adeps').

G. Quae dicis commoda? Ecce lampada: rotundum vasculum vitreum, omni ex parte conclusum, ubi solus demittitur funiculus. Huic vasi superimposita est tota machina, ut circulus dentatus ad funiculum promovendum, cylindrus vitreus ad defendendam flammam ab aëris impetu, et vitrea umbella ad reverberandam lucem [3]).

R. At fateberis hanc lucem meliorem esse quam antiquorum.

G. Quidni fatebor? Melior certe, sed non commodior: perpetuo funiculus tibi emungendus est forcipe, alioquin fumigat lampas cylindrumque fumus et taeter odor conclave implet, ut nec oculos nec nares apte defendas. Et ut accendas lucem, emendae sunt sulphuratae [4]).

---

[3]) Cylindrus, -i (gr. ὁ κύλινδρος); umbella est deminutivum vocis umbra; umbella dicitur etiam portatĭle opertorium ex materia consutum baculoque ope radiorum metallicorum infixum, quo defendimur a solis radiis (cf. francogallicum ombrelle) aut a pluviae intemperie. Umbellae lampadum aliquando sunt metallicae: quae si reflectorum vices agunt, argento sunt inductae aut nickelio (haec metalla rubigine non afficiuntur), at si solummodo lucem reverberant, vitreâ materiâ incrustantur. Recenter usus recepit in lampadibus electricis umbellas lineas et sericeas, quae vetustis umbellis multis numeris praestant.

[4]) Sulphuratae sunt festucae ligneae, phosphoro (phosphŏrum e gr. τὸ φώσφορον 'id quod affert lucem'; phosphorus dicitur aliquando stella matutina quae astronomis est Venus) et sulphure imbutae, quae materiae terendo sponte concipiunt ignem. Quamquam nunc propter sulphuris odorem et phosphori venenum aliae adhibentur materiae in his festucis

P. Nil impedit, quominus revertaris ad antiquorum silicem et fungum.

G. Quidni igniaria nostra minuta benzinâ repleta et siliculo fungoque instructa aliud quid sunt atque antiquorum silex?[5])

P. Certe ipsa forma est commodior.

G. Utinam haberemus illuminationem electricam! Haec vere est commoditas: nam praeter lampadem illam aëre vacuam et filo carbonisato aut metallico instructam nullâ re tibi opus est: duo fila cuprea a lampade ducunt ad aliquem in muro affixum contactum, ex quo supereminet globulus, quo impresso aut — si fuerit oblongus — in dextram retorto lux effulget.

P. Nil ab omni parte beatum: nonne ipse vidisti aliquando scintillam cum fragore ex contactu emicantem? Dicebant tunc curtum intercessisse circuitum. Quidquid id erat, recurrendum erat ad candelas et cereos, dum electrotechnicus novas lamellas in contactum immiserit.

G. En portatĭlis lampadula electrica, ubi nil tale accidit. Electricitatem ibi producunt elementa in

---

igniferis fabricandis, nihil obstat, quominus sulphuratarum vox in usu permaneat.

[5]) Benzīna est oleum volatĭle ex carbonum pice (pix, picis f.) extractum: antiqui ignorabant hocoleum. — Igniarium est omne quod elicet ignem; sed proprie vox usurpatur de instrumento ex fungo compositum et silice, ex quo chalybs (gen. chalybis m., gr. ὁ χάλυψ, τοῦ χάλυβος) feriendo elicit scintillam.

capsulâ inclusa, eaque sicca — nam humida effunderentur et, cum sint acida, corroderent vestes. Tenuia fila coniungunt haec elementa cum minuto globulo vitreo in reflectoris metallici centro infixo, qui globulus fundit lucem paene talem qualem magna lampas.

P. Sed quam diu lucet?

G. Ut maximum 24 horas — tunc elementa sunt renovanda.

P. Ni fallor, habemus in nostro gymnasio lampades pensīles, quae nec petroleo neque electricitate, sed vapore phlogistico — ita enim *gaz* appello — nutriuntur. Vapor iste, ut scis, extrahitur ex carbonibus sine aëre combustis, et tubis metallicis per platēas ducitur in singulas domos, ubi maximus vaporis usus in illuminandis conclavibus et in coquendis cibis. Lampadis constructio est quam simplicissima: tuba enim extrema finitur in minutum foramen, ante quod aptata est occlusio mobilis, ne vapor praeter nostrum libitum effugere possit; eique foramini superimpositum est reticulum. Occlusione illâ mobili apertâ vapor egreditur: statim admove accensam sulphuratam, iam vapor incenditur reticulumque incandescit et fulgorem praeclarum spargit.

L. Quid haec mirabilia ad nos, quibus misera lampas stativa, non e lacunari pensilis, tenebras magis monstrat quam propulsat? Iam taedet me confabulationis — vado cubitum. Si sapis, cito me sequĕris. Sit tibi fausta nox!

P. Precor tibi placidam noctem —dormi suaviter.



Omnes legistis praeclaram Henrici Sienkievicii fabulam romanensem, quam inscripsit *Quo vadis?* Illic sub fine ponuntur „Neronis faces", Christiani igni traditi inque eis Glaucum. Imago hanc scaenam repraesentat: optima omnium huius scaenae descriptio latina praemium sortietur.

GAUDEAMUS IGITUR

1. Φίλοι ἐνθυμώμεθα
νεανίαι ὄντες·
ἥβην καλὴν λείψομεν,
τάχα τελευτήσομεν
γήρως μετασχόντες.

2. Ποῦ εἰσιν, οἳ πρὸ ἡμῶν
ἐν κόσμῳ γένοντο·
βαίνετε εἰς οὐρανόν,
ἔρχεσθε εἰς τάρταρον,
αὐτοῦ ἐγένοντο.

3. Βίος ἀνθρώπων βραχύς
τάχα τελευτήσει·
θάνατος ἐφίπταται,
καὶ ἡμᾶς ἐφέλκεται —
τίνος ἀμελήσει;

4. Ζήτω ἀκαδημία,
διδάσκοντες ζώντων!
ζήτω, ὅστις κοινωνός
ἐστι μελετήματος·
ἀεὶ ἀκμαζόντων!

5. Ζήτω καὶ πολιτεία
βασιλεύς τε ζήτω!
ζήτω καὶ πόλις ἡμῶν
καὶ χάρις κηδεμόνων
πᾶς ἑταῖρος ζήτω.

6. Λύπη δ' ἀπολυέσθω,
φθινέτω μισήτης,
φθινέτω διαβόλος,
ἕκαστος μισάδελφος
καὶ καταφρονητής.

1. Gaudeamus igitur,
iuvenes dum sumus:
post iucundam iuventutem,
post molestam senectutem
nos habebit humus.

2. Ubi sunt, qui ante nos
in mundo fuere?
vadite ad superos,
transite ad inferos,
ubi iam fuere.

3. Vita nostra brevis est,
brevi finietur,
venit mors velociter,
rapit nos atrociter,
nemini parcetur.

4. Vivant academia,
vivant professores!
vivat membrum quodlibet,
vivant membra quaelibet,
semper sint in flore!

5. Vivat et res publica,
et qui illam regit!
vivat nostra civitas,
Maecenatum caritas
quae nos hic protegit.

6. Pereat tristitia,
pereant osores,
pereat diabolus
quivis antiburschius
atque irrisores.

II. BIBLIOGRAPHIA

Proximo fasciculo commendavi libros Thaddaei Zieliński eorumque posui titulos; verum spatii angustiae non permiserunt mihi accuratiorem singulorum opusculorum descriptionem — uno solo eoque meâ quidem sententiâ gravissimo excepto, quod de litterarum institutorumque antiquorum scrutandorum utilitate disserit (*Świat antyczny a my*). Est enim iste liber quaedam studiorum humaniorum apologia. Omnibus apologiis id profecto est commune, ut iis tantum hominibus persuadeant, qui aut nullam aut certe eandem quam auctor foveant sententiam. Impedivitne apologia Socratis eius condemnationem? aut *Apologiam* Platonis putatisne Socratis accusatores convertisse? Quot christianismi habemus apologias, et tamen videmus crescentem incredulitatem! Vanaene ergo et irritae apologiae? Absit — etiamsi ab adversariis non legantur aut lectae flocci pendantur, plurimum utilitatis ipsis instituti defensi amicis afferunt. Omnem enim rem, praesertim pueri, pectoris ardore potius quam rationis ducti argumentis amplectimur et fovemus: qui ardor cum volventibus annis refrigescat — *varium et mutabile semper* quidem *femina*, teste Vergilio (*Aen.* IV 569), sed pueri raro feminis cedunt — et evaporet, solae rationes eaeque solidae affectum nutrire possunt. Ea igitur est apologiarum utilitas, ut cur quid omnibus pectoris fibris amemus totoque ardore complectamur, nobis explicent nostrumque amorem non esse insanam

vituperandamque passionem, sed maxime dignum et utilem laborem, nos certiores faciant. Haec ergo est causa, cur tam instanter eius libri lectionem vobis commendaverim.

Iam liceat mihi vobis explicare quae sit *Iresione* eiusdem auctoris (*Irezyona. Klechdy attyckie*), quamquam auctor addito subtitulo, quod proprium sit libri argumentum, clare ostendit. Tradit profecto *Iresione* fabulas Milesias, easque non quaslibet animi recreandi causâ fictas, sed aetiologicas, h. e. quae Graecorum institutorum, religiosorum praesertim, origines et rationes (αἰτία 'causa') explanent. Fabulae hae genuinae, h. e. a Graecis fictae et narratae, non sunt: nostri auctoris debentur ingenio et stilo. Nihilo secius antiquos spirant animos, cum nemo fere tam antiquitatem penetraverit quam doctissimus auctor. Antiquitatum enim compendia, qualia debemus v. gr. Terlicovio aut Ioanni Szczepański aut denique ipsi Thaddaeo Zieliński, instituta tibi quidem graeca accurate describunt et quae antiqui recentesque docti de eorum origine et progressu tradiderint, diligenter notant — at quae fuerit instituti vis ac natura, cum hoc historici excedat officium, ibi frustra quaeres: hanc lacunam supplevit idem poeta qui doctus Zieliński, qui fabulae usus formâ et figmento singulorum rituum et ceremoniarum tibi explicat originem et institutionem, et sic delectando te instruit, ut his de rebus id prorsus s c i a s rationeque teneas quae Graeci solummodo s e n s e r i n t: quanto solida cognitio et doctrina confuso sensui praestat, tanto tu perlecto libro felicior eris homine Graeco.

III. VER SACRUM

PATRIA POTESTAS

Tenebrae imminebant. Ultimi radii occidentis solis tecta domorum inaurabant et nonnunquam a speculari tabernae librariae repercutiebantur.

Quot illic libri Hi in pretiosis tegumentis scorteis, illi in vilioribus: inveniuntur quoque sine ullo involucro.

Iuvenculus speculare contuetur, oculis omnes libros perlustrat; subito librum tenuem aspicit, omnem animum ibi advertit — cor vehementius pulsat, manus contremiscit; liber erat Graecus, prima linguae lineamenta...

Quantopere hanc terrae meridionalis linguam discere cupiebat! Quantum amorem huius cultus humanitatisque antiquorum sentiebat! Linguam latinam sine Graeca diem esse nubilum sine sole intellegebat.

Nunc praesto est pecunia, nunc librum emere posset, sed...

Sed enim pater vetuit. Frustra oleum et operam consumpsit: vanae atque irritae omnes preces fuerunt. „Cui bono studia Graeca — pater puero persuadebat — ad nullam artem utilia? Non invitus pecuniam tibi expendo, sed disce ea quae te postea adiuvare poterint. Aegre iam te linguam latinam discere patior. Sed huic te schola obligat; quod in tali oppido

habitamus, ubi te in gymnasium mathematico-physicum mittere nequeam, sane dolendum est. Tu quominus linguam graecam discas, veto et arceo!“

Quid erat faciendum? Sancta est patria potestas. Ei obtemperandum et nefas recalcitrare.

Sed alterâ ex parte fructus vetiti libido puerum invasit — ille Homeri mundus, incognitus paene, sed ardenter adamatus desideratusque, eum alliciebat.

„Cur pater meus me hac, quam peto, specie perfectionis summae ita privat? Numquid consulto mihi male vult? — Quin immo pater me amat, et fortunae felicitatisque meae cupidus est. Neque tamen desideria mea comprehendit, neque hanc eximiam pulchritudinem quandam, quam sancta antiquitas continet et complectitur, sentit. Non ergo peccabo, si emero librum!“

Sed iterum ei patriae potestatis in mentem venit: „O me miserum, inquit suspirans, qui Tantali crucior poenâ! Non feram famemque meam satiabo“.

Et mira audaciae nota — intravit puer tabernam...

Libro empto iuvenculus domum properavit. Cor plaudit, ut avis verno tempore... Parens vix conspecto libro mandatum suum spretum esse intellexit patriamque potestatem flocci factam esse doluit. Arrepto libro eoque perlustrato iubet filium eum reddere librario idque statim.

Triste flent ad utramque viae partem crescentes betulae, triste lacrimatur cum iis pueri anima et oculi vix guttas cohibent.

IULII SŁOWACKI ANHELLI CAP. II

Pectoribus huius exsulum catervae perlustratis, Schamanus[1]) in se ipso statuit: „Equidem non hic, quod quaesivi, inveni: horum pectora sunt infirma facileque luctu subigentur.

„Secundis temporibus boni essent, miseria autem in malos et noxios eos vertet. Di boni, quid fecistis?

„Nonne suâ quemque florem terrâ et vitâ patimini florescere? Cur ergo his moriendum est?

„Unum ex his eligam et diligam ut filium, moribundusque ei onus meum tradam, idque onus maius quam alii possent ferre, ut omnium evadat redemptor.

„Illique omnes huius orbis terrarum calamitates ostendam, deinde vero solum densis in tenebris derelinquam cogitationum onere et desideriorum gravatum".

His dictis venire iussit iuvenem, cui nomen Anhelli, manibusque impositis ei ardentissimum hominum amorem et misericordiam infudit.

Et ad turbam conversus: „Hoc cum iuvene", inquit, „secedam, ut ei multa dolorosa monstrem; vos vero manebitis soli, ut, quo modo fames et miseria et luctus sint ferenda, discatis.

---

[1]) Ex antiquorum dicendi consuetudine vertendum erat: *iatromantis* (gr. ἰατρόμαντις); ita v. gr. Aeschylus in *Eumenidum* prooemio dicit Apollinem, oraculi Delphici sospitatorem.

„At spem habete, nam spes a vobis ad posteros transibit eosque vivificabit; quae si in vobis morietur, posteri ex mortuis orientur.

„Quod cogitabitis, effectum sortietur et maximum in orbe terrarum erit gaudium illo die resurrectionis".

MAURITIUS HUCZNEKER, cl.
VIII b gymn. publ. Colomyiensis

IOANNIS COCHANOVII, THRENUS X

Ursula amata mihi, quo me relicto abiisti?
Quae loca, quam terram mortua quaesieras?
An caelos omnes elata sedes super altos
Parvulûm et innocuûm nobilitans numerum?
An paradisum habitas? Procul an felix revocatam
Insula te recreat? Per miserosne lacus
Nauta Charon te agit, ut Lethaeam sorbeas undam,
Quâ obliviscaris assiduas lacrimas?
An formâ positâ, mente amissâ puerili
Lusciniae indueras plumigerum tegumen?

MIECZYSLAUS BROŻEK, cl. VII
gymn. Pszczynensis Silesiae Superioris

IV. SATURA LANX

AENIGMATA

1. Quod mihi nomen sit, cura solvas, philomatha:
En ego discipulis notissimus ex elementis,
Grammaticae memores, qui iungunt verba Latina.
Me vates semper, qui venditat, utitur ante,
Me modulator amat, meditaturque ante viator.
Atque opifex sculptorque, omnis, cum mandit et haurit,
Utitur omnino, sapiens si incedere quaerit.
Dummodo sit modicus, me iam sibi sumit amicum
Omnibus in rebus, magnis simul exiguisque.
Laudibus extollit me vates, Tibure vivens,
Ac normam vitae sibi me cunctisque poposcit.
Si dubitas, scito: „Bissyllaba vox tibi reddet
Principium finemque simul cognominis apti“.

Viribus unitis classis VI gymn.
Patrum Societatis Iesu Chyroviae

2. Logogryphus.

X	Praepositio.
1 X 2	Praepositio.
3 4 X 5 4	Aliter ‘sanguis’.
6 5 4 X 7 8 9	Receptaculum frumenti.
10 11 10 8 X 1 10 11 5	Affectio hominis inconstantis ingenii.
12 8 11 13 14 X 13 10 11 7 2	Adverbium numerale.
X X X X X X X X X X X X X	
1 15 11 12 8 X 10 11 7 13 2	Adverbium.
11 13 3 11 X 3 10 8 2	Aliter ‘circumdatus’.
12 8 1 X 4 8 9	Figura (aequa) geometrica.
12 8 X 7 2	Aliter ‘otium’.
11 X 1	Adverbium, saepe usurpatum.
X	Vocalis.

Mediarum linearum elementa titulum operis latini dabunt.

BOLESLAUS RYBACKI,
cl. VI b gymn. Lomzensis

3. Saltibus, ut in scacchiorum ludo usu venit, adhibitis, collige proverbium graecum:

	ν	η	
λ	γ	τ	γ
ε	σ	ὁ	ς
ς	α	ί	ζ
ά	α	χ	π
ρ	ὁ	ι	
τ	π	η	ν
ς	ό	ρ	ἀ
	ς	ο	

VITOLDUS NOWOSAD,
cl. VII gymn. I Iaroslaviae

4. Quae mane incedit pedibus natura quaternis,
Luce bipes media, sole cadente tripes?

5. „Duo Dominicani (i. e. patres Ordinis Praedicatorum) ibant et alter alium edebat.“ Quomodo emendandum et interpretandum est hoc enuntiatum?

Aliquando fugit domo puella. Pater interrogavit servum, quonam puella fugerit. At servus respondit: „Rhodum natura erat.“ — Quid hoc sibi vult?

ROMANUS DURBAK,
cl. VII gymn. Brzezaniensis

Aenigmatum solutiones mittantur moderatori Palaestrae (R. Ganszyniec, Lwów, ul. Potockiego 20) ad kalendas Novembres. Sortibus missis 5 praemia distribuentur fortunatis.

OVIDIUS NASO ET RUSTICUS IMPORTUNUS

Forte domi solus quondam cum Naso sederet
  Intentus studio carminibusque suis,
Pelignus gelido veniens a rure colonus,
  Ardua divini limina vatis adit.
Utque erat agrestis, strepitu ferit ostia magno
  Et tacito properans increpat ore moras:
„Nescio quid talem vatem sit et inter asellum!"
  Respondet breviter Naso poeta: „Fores."

De ciconiis polonis.

Polonus quidam anulo ciconiae collo imposito haec verba insculpsit:

Haec ciconia
est ex Polonia.

Post annum reversa avis anulum aureum habuit hac inscriptione insignitum:

India cum donis
mittit ciconiam Polonis.

De nobili.

Quidam nobilis studium aliquamdiu intermissum cum Vindobonae repeteret atque diu noctuque in grammaticâ cruciaretur nec ad totum proficeret, dixit semel ad contubernalem, cum genera nominum in *-a* anxie disquireret: „Vellem profecto multum aeris alieni conflatum esse, ut omnia nomina in *-a* essent generis feminini!"

Laus scriptorum veterum.

Iuliano, Cardinali Sancti Angeli, qui una cum Ladislao rege obiit a. 1444 in pugnâ Varnensi, libros veterum lectitanti cum diceret quidam: „Quid tu hic inter mortuos latitas? Ad nos tandem, qui vivimus, exi!“ — „Immo, inquit, hi famâ vivunt, tu neque re vivis, sed pecudum ritu agis vitam“.

De praelato indocto.

Magnus praelatus in urbe Roma cum interesset prandio delicatissimo et opiparo, et solum sinapi deesset, exclamavit: „O quanta patimus pro ecclesiâ dei!“ Alter ad latus eius adsidens ipsius errorem castigavit, cui praelatus ait: „Non magni refert, si *patimus* aut *patimur* dixerimus, utrumque enim genetivi casus est“.

De tribus Bavaris.

Tres Bavari simul peregre profecti sunt gratiâ morum in alienis terris discendorum venientesque in Germaniam Inferiorem (ubi homines tam expedite curteque loquuntur nimiumque celeriter verba pronuntiant, ut vix et aegre Superiores Germani intellegant) civitati cuidam appropinquaverunt. Praemittitur autem ab eis pro procurando hospitio lautoque prandio instruendo, qui huius insuetae linguae non admodum erat gnarus, sed peritissimus haberi voluit. Qui cum in urbem venisset atque tardâ suâ linguâ imprimisque crassâ et durâ cum caupone

esset locutus plura, nihil tamen eorum intellexit: quare dentes digitis demonstrans comedendi aviditatem significavit. Caupo dolore dentium laborare eum existimans mox ad medicum dentarium deduci iubet. Ubi cum Bavarus adhuc in dentibus monstrandis perseveraret, medicus cauponis opinione permotus dentes duos illi evulsit radicitus. Quare indignabundus ille et tristis exiens e civitate ad comites pervenit, quibus ait: „O fratres carissimi, per fidem meam consulo vobis, ne hanc civitatem ingrediamini. Quam primum enim ad manducandum quidpiam postulaveritis, dentes vobis omnes extrahentur. Mihi, ut cernitis, duo eam ob rem adempti sunt, qui nisi adeo peritus et edoctus fuissem in eorum linguâ, iam totus edentulus (sine dentibus) ad vos redissem“.

Illi boni homines stulto illius consilio commoti ferme inediâ confecti abierunt suam Bavariam ieiuni repetentes.

Fures Christo similes.

Sacerdos quidam videns fures aliquos notorios templum intrantes, abrupto concionis filo sic illos allocutus est: „Vos, inquit, similes estis per omnia Christo. Sicut Christus toti mundo exosus erat, ita etiam vos hominibus exosi estis. Sicuti Christo multae fuerunt tensae insidiae, sic et vobis insidiae tendentur. Christus fuit captus, vos etiam capiemini. Christus fuit condemnatus ad mortem, vos etiam condemnabimini. Christus mortuus est in cruce, vos

etiam moriemini in patibulo. Christus rogatu cuiusdam est sepultus, vos etiam — si qua gratia restat — sepeliemini. Christus descendit ad inferos — et vos illuc descendetis. Sed Christus inde resurrexit et ascendit in caelum, at vos manebitis in inferno in saecula saeculorum".

De studiosis theologis.

Obsonium (gr. ὀψόνιον) delicatum tribus theologiae tironibus appositum est, sed ita pusillum, ut unâ vice devorari potuerit. Pacti sunt igitur inter se, ut qui aliquid huic rei congruum ex evangelicis litteris protulerit, toto obsonio vesceretur solus. Primus dixit: *Desiderio desideravi hoc obsonium manducare.* Alter ait: *Domum quampiam ingressi, comedite, quae apponuntur vobis.* Tertius direpto obsonio et unâ vice deglutito: „In toto evangelio, inquit, non occurrit huic rei aptius verbum quam extremum illud, quo usus est Dominus, videlicet: *Consummatum est*".

Rex Franciae Philippus clericos quosdam pauperes ad cenam invitavit, at unus illorum in fine mensae caponem *(kapłon)* abstulit. Id rex animadvertens semotis arbitris interrogat clericum, quam scientiam profiteretur. „Theologiam", inquit. Tum rex: „Nonne legisti in Sacris Litteris: *Nolite esse solliciti de cibo?* Cur ergo abstulisti caponem?" — „Immo, respondit clericus, et ego volui deponere omnem sollicitudinem et certus esse, ideo caponem mecum sumere volui".



Fabula de militibus.

Quidam milites in proelio occisi, ut servarent etiam militiae decorem, cum rubro signo (quale pingitur Salvatoris et sancti Georgii) atque in ordine descenderunt ad inferos. Daemones videntes signum, quo prius expugnata erant inferna claustra, omnes portas obseraverunt obicibus, vectibus, repagulis omnia claudentes timore novae expugnationis, seque omnes ad proelium armaverunt. Milites accedentes sub mortis interminatione sunt minis atque sagittis a portis repulsi. Ad quos ianitor infernus: „Declinate ad dextram“, inquit, „o viri, caelosque petite! Nulla enim nobiscum vobis mansio dabitur“. Quibus dum semita a ianitore monstrata esset venissentque ad portas caeli putantes intromitti, despiciens Petrus atque qui essent conspicatus: „Quis vos, inquit, huc ire iussit? Abite citius — viri enim sanguinum estis. Et quia in vitâ numquam pacem amastis, indignum est, ut aeternam quietem possideatis“. Ad quod unus ex illis ait: „Ubi tandem manebimus, dum prius etiam ab inferis sumus abacti?“ Huic Petrus dixit: „Audistisne me? Abite aut depellimini: flagitiosi enim estis et blasphemi“. Ad quod miles indignabundus et summo clamore ait: „Quid lupus vulpem de praedâ accusat (ut est in proverbio)? Nescis quid tu feceris, qui Dominum et Praeceptorem tuum falso et perfide ter denegavisti, quod nemo nostrum unquam fecit?“ Unde Petrus pudore perfusus atque timens, ne caelicolae audirent: „Tacete, inquit, boni amici, atque ingredimini, numquam posthac durus et difficilis ero peccatoribus“.

IMPRESSUM IN TYPOGRAPHIA UNIVERSITATIS, LEOPOLI, VIA PISTORIA 3
DIRIGEBAT R. GANSZYNIEC, LEOPOLI, AD VIAM ANDREAE POTOCKI 20

Palaestra prodit semel in mense, exceptis Iulio et Augusto. — Constat 35 grossis.
Opłata pocztowa opłacona ryczałtem. — Październik — PKO Warszawa 154.894